







1786.

1. Francke, Joannes Christianus: De obligatione accessoria, principis quoad effectus civiles summata nonnunquam vult.
2. Hommelius, Christianus Gottlieb: De causis studii singularis Fridrici I Imperatoris in jus Romanum.
3. Womdorffio, Gottlieb: De loco crediti, qui per equitatem executionem pro quibus praetoriam consequitur est, in concursu in creditorum ex legibus Saxoniacis tribuendo  
1787. <sup>1<sup>o</sup></sup> Boehmer
1. Francke, Joannes Christianus: De jure standi in comitiis provincialibus.
2. Gurler, Carolus Haeridicus: Animadversionum ex jure universi de praetoriam specialium I.
3. Kuegel, Gottlieb Christianus: Ordini juribus . . . Decanus. Lectori benevole salutem (et deputatorum hanc. Thomae Caroli Franzgalli Glueckii Glueckii (Glueck) inventat.
4. Kuegel, Joannes Gottfriedus Christianus: Varia juris maletemata  
executio
5. Kuegelius, Gottlieb Christianus: Injurandam in processu executionis interdum etiam ex legibus Saxoniacis locum habere observat.

6. <sup>2</sup>Leubard, Johannes Gualfred: Viroorum aliorum metallicarum  
 conlegit suspectorum docimasiae curae repetitae et novae.
7. <sup>a</sup>Meerheim, Godefridus Augustus: Ordini philoso . . . De causis  
 . . . . . Solemnium conferendarumque laurearum . . . philoso-  
 sophiae et artis practicae candidatis indicit praesentatione  
 artium: De notitia horarum politicae primis lineis recte  
 J. B. Kasing p. I.
8. Tilius, James Daniel: De pluvia et tonitruo.
9. Ulrich, Coradus August Christian: De bonis tutorum fundationis-  
 factae hypothecae, quae in reliquis bonis pupillari  
 et minoribus gaudent, haud obnoxio
10. Ulichius, Coradus Christianus Augustus: De indole actionis  
 de recepto ejusdemque non haecernis forensi.
11. Wilisch, Christianus Ferdinicus: De viarum officiorum  
 Civitatum et vasalliticorum ratione  
 1788
1. Gerlerus, Coradus Hermann: De legato rei commercio sementae.

2. Geolowus, Carolus Marcellus: De satisfactione personis inprimis de  
femine illustratus de signis acceptis praestantibus.

3. Peasi, Martinus Gollieb: Ordo juris Dei . . . Decanus:  
lecturi baccalari s. p. d. (ad reputationem Christianam  
universitatis Franckeri invitatus)

4. Reindard, Franciscus Volkmar: Leges Aetoris morales praestant  
fiores esse leges Lycurgi et Solonis

5. Schmidt, Carolus Ferdinandus: Ordo phil. Decanus: . . .  
conferentiae utriusque laurea solemniter . . . rite  
facienda philosophiae et artis poeticae candidatis  
inductis praemissa promotione de jurisprudentia Theol.

Ordo

6. Schmidt, Carolus Ferdinandus: De juribus singulorum  
hominum naturalibus propter societatem civilem immen-

tandis

F. Schulze-Kohlenschütter

*[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a letter or document.]*





DE 350  
OBLIGATIONE ACCESSORIA,  
PRINCIPALI QVOAD EFFECTVS CIVILES  
SVMMOTA, NONNVNQVAM VALIDA

---

COMMENTATIO 1786

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
A V C T O R I T A T E  
P R A E S I D E

D. IOANNE CHRISTIANO FRANCKE

IUDICII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE  
INFERIORIS ASSESSORE

A. D. XXII AVGVSTI A. C. MDCCCLXXXVI

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS ERNESTVS FRANCKE

VITEBERGENSIS.

---

V I T E B E R G A E

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

OBLIGATIONE ACCESSORII  
PRINCIPALI QUOD EFFECTVS CIVILES  
STRICTI NON NUMquam VALIDA

COMMENTATIO

IN LEGIS SVBREGVIVORVM ORDINE

AVCTORITATE

PRÆFATE

D. JOHANNIS CHRISTIANO FRANCKE

INDICI PROVICIALE IN MARCHIA ANTA TVSIS

INFERIORIS ASSISTENTIAE

A. D. MDCCCLXXXV. A. C. CIVIS SOCI. XXVII

HA. C. C.

DE RE. P. T.

CHRISTIANVS ERNSTVS FRANCKE

VITÆ REG. N. S.

FRANCKE CAROLI CHRISTIANI OPERA





Q. D. B. V.

*Introductio.*

**A**d difficiliora iuris ciuilis capita, ea, quae de obligationibus agit, sine dubio pertinet tractatio, multum enim ueterum exercuit Iureconsultorum ingenia, <sup>a)</sup> qui saepius in verborum solennitatibus, saepius in variis praefidium quaesuerunt distinctionibus, saepius etiam pro scholarum diuersitate <sup>b)</sup> in varias abiere sententias, cuius rei in iis, quae haereditatis aditione extinguuntur, obligationibus, Cuiacius <sup>c)</sup> nobis elegans sistit exemplum. Sed nemini hoc mirum videri debet cui constat, nec nostris quidem

A 2

tem-



temporibus fundamentum obligationis in pactis omni exem-  
tum esse dubitatione, licet ex translatione iuris in alterum fa-  
cta lis componi posse videatur. Cum autem scribendi data  
sit occasio, in largam hanc messem falcem immittere, et de  
obligationis accessoriae vi atque efficacia iis in casibus, quibus  
principale vinculum ob legis civilis impeditur sanctionem,  
quaedam exponere constitui, qua in re ita versabor, ut obli-  
gationis notionem, eiusque acquirendi et omittendi modos ex  
iure naturae et civili praemittam, et deinde species, quae meo  
conveniunt proposito, iungam.

- a) Ioann. Ortwin. Westenbergii dissertat. nouem de causis obligationum.
- b) Christ. Otto a Bockeln de fectis et familiis veter. Iureconsultorum et Go-  
thofr. Mascov, de fectis Sabinianor. et Proculian.
- c) in Obseruat. libr. II. Cap. 34.

§. I.

*De obligationis notione.*

Actiones humanae cum ita sint comparatae, ut variis com-  
poni possint modis, finem tamen habeant propositum, necesse  
est, ut quisque adhibeat rationes, quarum in agendo se accom-  
modet ad normam. Hae vel ex agentis natura, vel ex rerum  
indole, vel ex relatione oriuntur, qua homo cum iis, quae  
extra se sunt posita, iungitur, et sic talis, quae nexum ratio-  
num cum actione sistit, inducitur conditio, qui nexus, quo-  
ties tertii abest iniuria, obligationem efficit, quippe quae in  
mo-



morali quid agendi vel omittendi consistit necessitate, et Iureconsultis vinculum audit iuris, quo necessitate adigimur alienius rei soluendae secundum cuiusque ciuitatis iura. <sup>o</sup>) Scilicet libertas, qua quis positus omnibus ad agendum requisitis actionem naturaliter liberam suscipere vel intermittere, ex pluribus vnum eligere, reliqua reiicere potest, in obligatione restringitur, ita tamen, vt omnem, quippe quae libertatem tollit, respuat externam coactionem, licet eam, quam ingredi debemus, nisi ordinem turbare, aut finem, quem habemus propositum, deserere velimus, praescribat viam. Sicut autem vel ex ipsa actionis natura, vel ex arbitraria quadam descendit determinatione, in naturalem et positiuam abit obligatio, caeteroquin extra dubium est, non nisi in naturaliter liberis versari obligationem, eam, lege pro norma actionum moralium sumpta, semper supponere legem quandam, <sup>b</sup>) atque adesse, quoties nexus actionem eiusque argumentum intercedens nostram complectitur felicitatem, positiuam autem tunc demum, cum eius auctor facultate gaudet morali actionibus nostris causas iungendi ad mouendum idoneas, existere. Varias sunt obligationum diuisiones in conuentionalem et legalem, realem et personalem, intuitu fori externi perfectam et imperfectam, affirmatiuam et negatiuam, absolutam et hypotheticam, mediatam et immediatam, diuiduam et indiuiduam, quae omnes in praesenti me non tangunt, modo principalem, quae alterius in se continet rationem, et accessoriam, quae alteri



teri iungitur, porro in relatione ad principium cognoscendi naturalem, ciuilem, et mixtam bene distinguamus.

- a) Princip. Institut. de obligationibus. Scilicet obligatio, quae saepius etiam relationem moralem diuersas personas mutui nexus causa intercedentem denotat, l. 1 et 2  $\pi$ . de obligat. et action. metaphora a ligamenti corporis adhibita vocatur vinculum, quod ex actu obligandi oritur, et quidem iuris, cum ab eo vim atque auctoritatem suam deriuat, consistit autem in necessitate rei soluendae, quia exceptione perpetua tolli nequit, ius ab inuito exigendi inuoluit, et concessionem in promittentis respuit arbitrium, l. 8.  $\pi$ . de obligat. et action. l. 46 et 108, §. 1.  $\pi$ . de verborum obligation. verbis rei soluendae facta et abstinentiam a factis, l. 6.  $\pi$ . de verb. signif. nec non donationem et praestationem, l. 3. pr.  $\pi$ . de oblig. et action. l. 54.  $\pi$ . de solut. l. 47.  $\pi$ . de verb. signif. comprehendentibus, cuiusque autem ciuitatis iura in ineunda et explicanda obligatione seruari debent. Reprobauit hanc definitionem L. B. de Wolff, in den vernünftigen Gedanken von den Kräften des menschlichen Verstandes, c. 1. §. 40. et c. 9. §. 2.
- b) Cum lex moralis conditionem actionum liberarum ex earum natura et relatione ad nostram felicitatem deprompta exponat, certo certius est, nec naturalem obligationem citra legem posse cogitari. Aliter sentit Cel. Höpfner, im Naturrechte des einzelnen Menschen, der Gesellschaften und der Völker, §. 8. und 20. ea, quam de lege naturae posuit, inductus definitione.

§. 2.

*De modis, quibus ius obligationem in altero producens quaeritur.*

Ius, cum in morali legibus conuenienter agendi consistat facultate, immunitatem ab aliorum exigit iniuriis et perfectam in altero ad abstinendum ab omni turbatione producit obligationem, quare quoque, si collisionis excipias statum, recte dicitur, iura et obligationes sibi inuicem respondere. \*) Citra



tra vllum autem ad ciuilem societatem respectum iam ipsa lex naturae ea, quae ad sui conseruationem atque ad auertendas aliorum laesiones pertinent, homini vindicat, ex quo intelligitur, ius eius causa proueniens nobis quasi innasce, nec facta, quo illud obtineamus, indigere. <sup>b)</sup> Aliter secundum dictamen rationis in iis, quae ex indole naturae nostrae nobis non competunt, res se habet, quorum comparationem necesse est, vt praecedat actus, qui ius et iuri conuenientem producat obligationem, factum exhibens vnus vel plurium consensu absolutum, prout scilicet e conuentione, lucro e re nostra citra donationem in alterum transeunte, <sup>c)</sup> vel laesione obligatio procedit, et ius eius solutionem exigendi alteri nascitur. Ad leges quod attinet ciuiles, Caius <sup>d)</sup> obligationes ex contractu, maleficio, aut ex proprio quodam iure variisque causarum figuris deriuat, sed quid verba postrema sibi velint, inter Iureconsultos non constat, <sup>e)</sup> licet ii mihi ad rem propius accedere videantur, qui obligationes actionibus solennibus destitutas, quibus ex speciali iure pro causarum indole praetor actiones accommodat, quaeque ob varietatem circumstantiarum certo nomine certaue comprehendendi nequeunt regula sub his venire asserunt. <sup>f)</sup> Interea re accuratius perpenfa elucet omnem obligationem, et quod ei respondet, ius e lege vel immediate, ita, vt factum absit, aut saltem occasionem praebet, <sup>g)</sup> vel actu quodam interueniente oriri, et quidem, cum duplex sit actionum humanarum ratio, alia, quae legibus conuenit,



uenis, alia, quae iisdem repugnat, partim ex licito, partim ex illicito produci facto, cuius prioris species, prout consensus mutuis verbis seu aliis signis inuicem declaratus actionem intercedit, vel praeter veram conuentionem leges, ex causa ciuilitate habili, quosdam certis iungunt negotiis effectus, <sup>b)</sup> seu reuocationem promissi, licet nondum accesserit acceptatio, cui negant, in contractus, pacta, obligationes quasi ex contractu descendentes, et pollicitationes abeunt.

- a) Thomas philosoph. iur. de obligat. et action. §. 116. Schlettweins Rechts te der Menschheit, Vorbereit. 2tes Kapitel, §. 30.
- b) Achenwall in iure naturae, l. 1. §. 63 seq. Ulrich in init. philosoph. iust. §. 134 seq.
- c) Grotius de iure belli et pacis, l. 2. c. 10., qui tamen speciem obligationis, quae omnis e persona nascitur, minus recte ex dominio deducit.
- d) l. 1. pr. π. de oblig. et action. Aliter Modestinus l. 52. π. de oblig. causas tradit obligationum a Donello in Commentar. iur. ciu. l. 12. c. 5. merito reprehensus.
- e) Io. Bapt. Ritter in dissert. ad leg. 1. pr. π. de obligat. et action. Viteb. 1657, sub praesidio Gothofr. Saeui habita legem, pactum legitimum et adiectum, Beyer ad Institut. l. 3. tit. 14 et 15, quasi contractus, Ian. a Costa in Commentar. ad Institut. l. 3. tit. 27. §. 1. obligationes re ipsa citra consensum contractas intelligunt.
- f) Galuanus de usufruct. c. 27. §. 3. Ludouic. Charondas, l. 3. π. α. α. α. α., c. 1. Vinnius ad Institut. tit. de obligat. §. 2. Müller ad Struv. Exercit. VI. thes. 31. l. 2.
- g) l. 52. §. 5 et 6 π. de obligat. et action. Cuiac. in Obseru. libr. 17. cap. 18. quo inter alia pertinent species §. 29. Instit. de rer. diuic. l. 23. §. 3. π. de rei vindic. l. 3. §. 9. π. ad exhib. l. 32. π. de reb. cred. l. 2. π. de distract. pignor. l. 34. §. 2. Cod. de donat. l. 1. Cod. vt nemin. liceat in emtion. specier. se excuf. expositae.

h) De





h) De natura et fundamento obligationum, quae quasi ex contractu veniunt, variae sunt doctorum opiniones, quas pro parte recenset Thomas in philosoph. iur. de oblig. et action. §. 124 sequ. Grafs in thesibus iuridic. miscellan. Tubing. 1720, propositis omnes harum obligationum species ad quatuor refert classes, eas ipsas autem e iure naturae proscribit. Christoph. Frider. Schott in dissert. iur. nat. T. I. Dissert. 4. Mihi sunt negotia, quae causa civiliter obligante ex consensu a lege imposito gaudent.

## §. 3.

*De iis, quibus iura et obligationes tolluntur, modis.*

Iura et obligationes sibi inuicem respondent; iisdem itaque, quibus iura intereunt, modis <sup>a)</sup> obligationes quoque solvuntur, quo facto etiam accessiones, puta appromissiones, hypothecae, pignora liberantur, <sup>b)</sup> cum principali extincto necesse est, ut et accessorium pereat. Omnis autem iuris tollendi ratio ita ex praeceptis naturae potest intelligi, ut vel actio eius causa suscipiatur, vel citra factum ideo commissum liberatione ex ipsa rei contingat qualitate, quod conspiciere licet in solutione, remissione, novatione, expromissione, delegatione, nominis cessione, et mutuo dissensu, in quibus omnibus quodam eius gratia peracto opus est facto, cum contraria ex parte in pacto personali morte interueniente, in debito rei singularis eius citra moram debitoris mero ex casu secuto interitu, in conuentione certi finis causa inita eo ab utraque parte deficiente, in tali per accidens facta status mutatione, quae implementum contractus impossibile reddit, in perfidia, qua

B

alter



alter sua ex parte actionis omittit expletionem, in confusione, consolidatione et compensatione nullum ideo susceptum factum desideret obligationis dissolutio. Leges civiles ad duo reuocant omnes liberationum species genera, quorum vnum ipso iure, <sup>c)</sup> alterum autem exceptionis demum se exserit ope. Scilicet ipso iure tollitur obligatio, quoties factum adest ei, ex quo obligatio est orta, contrarium, <sup>d)</sup> siue factum illud sit vtrique commune, vt mutuus dissensus in naturalibus et in iis, quae solo consensu contrahuntur, obligationibus <sup>e)</sup>, acceptilatio in verborum obligationibus <sup>f)</sup>, nouatio in omnibus obligationum speciebus <sup>g)</sup>, siue factum debitoris sit proprium, vt solutio <sup>h)</sup>, siue causa debendi sit sublata, vt in solutione a tertio facta <sup>i)</sup>, interitu rei singularis <sup>k)</sup>, compensatione <sup>l)</sup>, confusione <sup>m)</sup>, duarum causarum lucratuarum in vniam personam concursu <sup>n)</sup>, praescriptione in actionibus temporalibus <sup>o)</sup>, pacto lege approbato <sup>p)</sup>, et exemptione a commercio <sup>q)</sup>. Ope exceptionis variis liberatio contingere potest modis, et ab initio quidem duabus de causis, quarum vna procedit ex persona contrahentium in Senatusconsultis Macedoniano <sup>r)</sup> et Velleiano <sup>s)</sup>, altera ex re ob metum ex parte scilicet patientis iustum <sup>t)</sup>, dolum specialem <sup>u)</sup>, errorem <sup>v)</sup>, et non numeratam pecuniam <sup>w)</sup>; in progressu negotii autem, licet omnes certa completi nequeant regulae species, tamen ad quatuor potissimum redeunt causas, quae in debiti remissione <sup>x)</sup>, iureiurando <sup>y)</sup>, re iudicata <sup>z)</sup>, et praescriptione <sup>a)</sup> comprehenduntur.

a) Reste

a) Rechte monnit Schlettwein in Rechte der Menschheit, 2ter Theil, 4tes Kapittel, esse quaedam, quae ab homine diuelli nequeant, iura, scilicet ea, quorum homo ob essentiam suam carere nequeat.

b) l. 43.  $\pi$ . de solut.

c) l. 38. §. 1. l. 72 princ.  $\pi$ . de solut. ita, vt plane nulla superfit actio, l. 27. §. 2.  $\pi$ . de pact. l. 98. §. 8.  $\pi$ . de solut. quippe potestate legis absque praetoris auxilio sublata. Bernab. Briffon. de solut. et liberat. libr. 3. in princ. Quamuis autem secundam l. 112.  $\pi$ . de regulis iuris nil interfit, ipso iure quis actione destituatur, an ea per exceptionem infirmetur, tamen id de casu, quo exceptiones citatae et probatae sunt, debet intelligi, cum caeteroquin magnae vel exinde pateant differentiae, quod ipso iure rursus id, quod soluit, semper possit, tanquam indebitum, condicere, et omnino accessiones liberet, cum is, qui exceptione tantum vitur, ea nonnunquam destituatur conditione, nec fideiussores nexu semper eximat, l. 40.  $\pi$ . de condict. indeb. l. 43.  $\pi$ . de solut. l. 7. princ.  $\pi$ . de except. cui accedit, quod iudex in exceptionibus ab vtraque parte admittere debeat probationes, cum in liberatione ipso iure competente ea ex actis liquida actorem statim repellere possit. Gande ad regul. iur. 13.

d) l. 153.  $\pi$ . de reg. iur.

e) l. 58.  $\pi$ . de pactis. l. 95. §. 4.  $\pi$ . de solut.

f) l. 14.  $\pi$ . de acceptis.

g) l. 1.  $\pi$ . de nouat.

h) quae in genere omnem liberationem, l. 54.  $\pi$ . de verb. oblig. l. 47.  $\pi$ . de verb. signif. in specie autem rei debita praestationem denotat l. 49.  $\pi$ . de solut. Vultei ad princ. Institut. quibus modis tollitur obligatio. Et quidem verbum solutionis secundum l. 54.  $\pi$ . magis ad obligationis refertur substantiam, quam ad nummorum solutionem.

i) l. 23 et 53  $\pi$ . de solut.

k) modo debitoris non obstat factum, cuius generis sunt tria, nempe conuentio de periculo suscipiendo, culpa, et, quae debitoris interpellatione, diei praescripti lapsu, et iniusta rei contrahitur occupatione, mora. l. 23 et 91  $\pi$ . de verb. oblig. l. 23 et 155  $\pi$ . de regul. iur.



- l) Hinc facile intelligitur debito simplici debitum hypotheca vel privilegio munitum omnino posse compensari, vti recte docet Ioan. Voet. ad  $\pi$ . l. 16. tit. 2. §. 14.
- m) l. 1. Cod. de haeredit. action.
- n) Necessè tamen est, vt certa res aut species iure irrevocabili sine remunerationis onere in creditorem iam transierit. §. 6. Institut. de legat. l. 17  $\pi$ . de oblig. et action.
- o) l. 6.  $\pi$ . de oblig. et action, quae actio enim intra certum tempus tantum datur, ea vltra id tempus institui nequit, quo pertinent actio Pauliana, redhibitoria, quanti minoris nec non excepta furti manifesti actione poenales actiones a Praetore introductae.
- p) l. 6 et 17. §. 1.  $\pi$ . de pact.
- q) l. 92.  $\pi$ . de solut.
- r) l. 11.  $\pi$ . ad Scrt. Macedon.
- s) l. 40.  $\pi$ . de condict. indeb. l. 7. §. 1.  $\pi$ . de except.
- t) l. 9. §. 3.  $\pi$ . quod met. causa.
- u) l. 4. §. 4 et 9  $\pi$ . de dol. mal. except. dolus enim generalis cum omnibus aliis concurrat exceptionibus. Berger, in Oecon. iur. l. 3. tit. 15. thes. 10. not. 8. l. 2. §. 5.  $\pi$ . de dol. mal. except.
- v) l. 36.  $\pi$ . de verb. oblig.
- w) l. 5 et 7. Cod. de non numer. pecun.
- x) quae pacto vel legato fit, §. 8. Institut. de except. l. 3. §. 3.  $\pi$ . de liberat. legat. Interea naturalem obligationem iusto pacto et iureiurando iure ipso quoque tolli asserit Papinianus in l. 95. §. 4.  $\pi$ . de solut.
- y) Sin quis, nihil se dare oportere, iurauerit, §. 4. Institut. de except.
- z) Sin debitor, cum quo actum, eo absolutus est in iudicio, §. 5. Institut. de except.
- a) Ioan. Voet. ad  $\pi$ . l. 44. tit. 3. §. 10. Aliter tamen in Saxonía ob Constitut. 25. P. I. se res habet, secundum quam omnis Praescriptio ad liberationem, quae ipso iure fit, spectat.

## §. 4.

*Num accessorium suum sequatur principale, disquiritur.*

Euentus, quo res quaedam intuitu sui augetur pretii, ideoque certum capit incrementum, dicitur accessio, id autem, quod rei ita iungitur, accessorium, et quidem prout vel res, vel causa quaedam moralis locum principalis tenet, accessio in duo abit genera; partim enim ad modos refertur acquirendi, partim autem moralem rerum quarundam completitur relationem, qua res ab altera dependet, licet vtrique commune sit generi, vt ex iure diiudicetur principalis. Cum autem ea, quae <sup>a)</sup> modis acquirendi annumeratur, accessio ad praesens non pertineat institutum, ad alterum eius progredior genus, quod in obligationibus conspicitur, et ea, quae maioris iis adiiciuntur securitatis causa <sup>b)</sup>, complectitur, quo pertinent adpromissores <sup>c)</sup>, sponsores <sup>d)</sup>, constitutores alienae obligationis <sup>e)</sup>, mandatores <sup>f)</sup>, hypothecae, pignora et poenae conuentionales <sup>g)</sup>, in quibus est praeceptum, vt si principalis non consistat causa, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habeant <sup>h)</sup>, quae tamen regula non est perpetua, sed varias ex sententia Pauli <sup>i)</sup> admittit exceptiones, de quibus singulis iam est exponendum.

a) Hanc iuris civilis doctrinam examinarunt Hugo Grotius de iure belli ac pacis, l. 2. c. 8. Theophil. Gerhard. Titius in iure privato, l. 3. c. 5. §. 25. Quid quod, si verum fateri volumus, pleraeque earum, quas ius civile enumerat, accessionum species pro talibus iure naturae haberi nequeunt.



- b) quae tamen adiectae non ad ordinem temporis, sed ad conditionem obligationis spectat. Voet. in Commentar. ad  $\pi$ . l. 46. tit. 1. §. 6.
- c) qui in iure etiam fideiussores vocantur, l. 1. §. 8.  $\pi$ . de obligat. et action. l. 5. §. 2.  $\pi$ . de verborum obligat. Alia vero in adpromissore indemnitas est consideratio, quippe qui sine mandato rei principalis conditionaliter eum saltem in euentum, quo creditor a debitore suum consequi nequit, suo tenetur nomine, l. 116  $\pi$ . de verbor. obligat. quapropter quoque ex natura conventionis beneficio vitur ordinis et litis contestatione reum ea in parte, qua lis est suscepta, quasi per delegationem liberat. l. 42.  $\pi$ . de reb. cred. l. 11.  $\pi$ . de nouat. cfr. Guillielm. Fornerius et Ioan. Goeddaeus ad leg. 150.  $\pi$ . de verbor. signif.
- d) qui obligationem principalem antecedunt, mandantes, vt tertio pecunia credatur. l. 12. §. 14.  $\pi$ . de mandat.
- e) qui quidem sublata nostris temporibus inter stipulationem et pacta differentia cum fideiussoribus paene conueniunt, nisi quod aliud pro alio, et id, quod sub conditione vel certe ex die debetur ad hunc effectum, vt conditione existente et die veniente constitutum valeat, pure constitui possit. l. 1. §. 5. l. 3. §. vlt. l. 4 et l. 19 princ.  $\pi$ . de constitut. pecun. Quoad statutum Lipsiense intuitu constituti confer Carpzou, iurisprud. forensem, P. 2. Const. 16. Defin. 8.
- f) de quibus quaedam notauit Andreas Alciatus et Ioan. Brechaeus ad leg. 7.  $\pi$ . de verbor. signif. nec non Salmasius de mod. iurur. c. 16.
- g) l. 4. §. 1.  $\pi$ . de verbor. obligat.
- h) l. 129  $\pi$ . de regul. iur.; quae lex, licet eam Cuiacius in suo mercatore, c. 29. iis solis, quae initio non valuerunt, vindicat, tamen ad ea quoque, quae, cum substituerant, postea sublata sunt, trahenda. Iacob Gothofredus nec non Ioan. et Frider. Sande in Commentar. ad regul. iuris, h. l.
- i) l. 178. §. 1.  $\pi$ . de regul. iuris.



## §. 5.

*De iis, quibus ab initio principalis subtrahitur debitor, speciebus.*

Cum autem principalis ita, vt accessoria maneat salua; vel ab initio subtrahi, vel ex post nexu eximi possit obligatio, distincte procedam, et prioris quidem generis praemittam species. Lex scilicet ciuili quaedam ob vinculum aequitatis eatenus sustinet obligationes, <sup>a)</sup> vt, licet actiones ideo deneget, tamen fideiussores <sup>b)</sup> earum causa valide admittat, quod ex qualitate conuentionis in pactis nudis <sup>c)</sup>, et ex qualitate personarum in pupillo pubertati proximo sine curatore contrahente <sup>d)</sup> accidere potest, quibus in casibus creditor, licet actione aduersus principalem destituatur debitorem, fideiussores recte conuenit, nec intuitu pupilli obstat, quod is sine tutoris auctoritate stipulanti promittens, aut mutuam accipiens pecuniam, ne naturali obligari dicatur iure <sup>e)</sup>, cum id de pupillo infantiae proximo et de effectuum obligationis naturalis priuatione ratione sui ipsius est intelligendum, non autem ad accessiones <sup>f)</sup>, nec ad successores <sup>g)</sup> trahendum.

a) l. 95. §. 4.  $\pi$ . de solut. l. 84. §. 1.  $\pi$ . de reg. iur. non enim contrahi potest fideiussoris obligatio, nisi principalis, cui applicari possit, subsit. l. 16 pr. et §. 3.  $\pi$ . de fideiussor.

b) §. 1. Institut. de fideiussor. Carpou. P. 2. Constit. 18. Defin. 8.

c) l. 7.  $\pi$ . de fideiuss. j. l. 3. Cod. de usur. quae tamen, postquam omnia de liberato animo inita pacta vi obligandi gaudent, aliter se habent. Vinnius de pact. Cap. 7.

d) l. 16,



- d) l. 16. §. 3. π. de fideiuss.  
 e) l. 41. π. de condict. indeb. l. 59. π. de obligat. et action.  
 f) l. 127. π. de verbor. obligat. qua quidem in lege acute monetur pupillum naturaliter tantum obligatum, cum in eo deficiat petitio, moram non committere, ideoque eius causa fideiussorem non teneri. *cf.* Ioseph Auernius *interpr. iur. civ. l. 2. cap. 14.* *Casp. Ziegleri Dissert. de obligat. §. 14.*  
 g) l. 95. §. 2. π. de solut. de qua lege et in genere de discordia Iureconsultorum in obligatione pupillorum naturali *cf.* Petr. Pantoj. de Aiala in *Comment. ad leg. fin. Cod. de aleator. T. IV. Thesaur. Otton. p. 1074. 1075. 1076. 1077.*

## §. 6.

*De modis, quibus in progressu negotii obligationi eximitur debitor principalis, et quidem in specie de exceptionibus debitoris personalibus.*

Non ab initio negotii solum obligatio principalis summo-  
 ueri, sed in eius progressu etiam debitor se tueri potest excep-  
 tionibus, sub quibus in genere omnes, quibus reus inten-  
 tionem actoris excludere studet, veniunt allegationes <sup>a)</sup>, quae  
 partim rei, partim personae dantur causa. Prioris generis de-  
 fensiones fideiussoribus quoque profunt <sup>b)</sup>, et omnes omnino  
 liberant accessionum species <sup>c)</sup>, necesse enim est, toties sub-  
 uenire fideiussoribus, quoties regressum aduersus principalem  
 habituri sunt debitorem <sup>d)</sup>, ne scilicet iis, qui talem praeten-  
 dunt, exceptio fiat inutilis. Plane aliter autem in personali-  
 bus se res habet exceptionibus, quae, cum personae cohae-  
 rent, soli competunt debitori, qui iis aduersus omnes, a qui-  
 bus



bus convenitur, vti, easque non agenti solum creditori, sed omnibus etiam causam ab eo habentibus opponere <sup>c)</sup>, minime autem eas cum fideiussoribus communicare <sup>f)</sup> potest, quo pertinent restitutio in integrum ob minorennitatem <sup>g)</sup>, beneficium competentiae <sup>h)</sup>, et cessio bonorum <sup>i)</sup>, in quibus debitores quidem creditoris elidunt actionem ratione sui, earumque, quae ab ipsis proficiuntur, accessionum, fideiussoribus autem, cum naturalis maneat obligatio, immunitatem non conciliant <sup>h)</sup>, quippe qui his in speciebus ordinis destituuntur beneficio. <sup>i)</sup>

a) l. 1. §. 2. π. de except.

b) l. 7. π. de except. Anton. Gomez in resolut. iur. civ. T. 2. c. 14. thes. 9.

c) l. 32. π. de fideiuss.

d) l. 3. §. 4. π. de minor. l. 32. π. de pact. l. 9. §. 3. π. ad SCrum Maced.

e) l. 143 et 177. π. de regul. iur.

f) l. 22. π. de pact. l. 7. π. de except. l. 1. et 2. Cod. de fideiussor. min.

g) l. 13. pr. π. de minor. et l. 25. π. de fideiuss. quae lex mirifice torfit interpretes, sed de specie intelligenda, qua ex re actio venit, ob voluptarias autem restitutio impetrata est expensas. Interea in casibus l. 89 π. de acquir. vel omitt. heredit. et l. 51. π. de procurat. propositis restitutio cessat, et licet exceptio personalis ad successores non transeat, l. 25. §. 1. π. de pact. tamen in hac specie heredibus prodest, l. 18. §. 5. l. 19. π. de minor. Exceptionibus personalibus etiam pactum debitoris, ne a se petatur, et a principe impetratam solutionis dilationem Ioan. Voet. in Comment. ad π. l. 44. tit. 1. §. 9. accenset, sed cum creditor eum in modum pacifens cedere nequeat actiones, et dilatio qualitatem non mutet obligationis, patet, fideiussorem ordinis et cedendarum actionum beneficiis se defendere posse. Ios. Auerianus in interpr. iur. l. 3. c. 8. no. § 1.

C

h) l. 7.



- h) l. 7. pr.  $\pi$ . de except. l. 12 et 13  $\pi$ . solut. matrimon. dos quemadm. per. ]  
 i) §. 4. Instit. de replicat.  
 k) l. 60.  $\pi$ . de fideiuss.  
 l) Ioan. Voet. in Comment. ad  $\pi$ . l. 46. tit. 1. §. 18.

§. 7.

*Continuatio, qua de iis agitur speciebus, quando intercessio donandi animo, vel inuito debitore, vel sub asseueratione validi debiti facta est.*

Accidit interdum, vt quis donationis causa vel inuito intercedat debitore <sup>a)</sup>, quod si fit appromissor nec mandati nec negotiorum gestorum gaudet actione, <sup>b)</sup> quin in principalem reum caret regressu, sibi enim imputet, quod alterius ita sese implicuerit negotiis. Iam vero is, qui pro filiofamilias mutuum in fraudem legis contrahente pecuniarium fidem interposuit suam Senatusconsulti, quo se defendere potest, leuatur auxilio <sup>c)</sup>, quo tamen tunc, cum donationis causa vel debitoris prohibitio suam comitatur fideiussionem, non fruitur <sup>d)</sup>, quod etiam procedit in eo, qui, cum dubitatur, num contra Senatusconsultum pecuniam filiofamilias accipiat, nec ne, debitori in fraudem legis mutuum recusanti fidem fecerit, ita non esse, eumque eius periculo credere posse <sup>e)</sup>, ideoque his in speciebus, cum principalis Senatusconsulto subtrahatur debitor <sup>f)</sup>, solus, cui in necem creditoris subueniri nequit, tenetur appromissor.

<sup>a)</sup> l. 25.

a) l. 25. §. 1. de pact. l. 40 et 53. §. mandat.

b) l. 5. pr. §. de liberat. legat.

c) l. 7. §. 1. §. de except.

d) l. 9. §. 3. §. de Scto Maced.

e) l. 12. §. 13. §. mandat.

f) l. 7. §. 10. §. de Senatasc. Maced.

§. 8.

*Continuatio, quae fideiussorem intuitu absentis, corruptionis speciei debitoriae, intercessionis in rem suam factae, et aditae debitoris haereditatis sinit.*

Qui certo abest loco, proprie quidem absens dicitur <sup>a)</sup>, sed bene monuit in eleganti ad titulum pandectarum de verborum et rerum significatione Commentario Ioan. Goeddaeus <sup>b)</sup>, varia esse absentiae genera, quae pro qualibet re subiecta aliter atque aliter sint interpretanda, et partim ad personam, partim autem ad rem referenda. Hinc debitorem eum dicimus absentem, qui latitat, procuratorem, qui eius nomine a creditoribus in iudicium vocari possit, non relinquit, nec bona, e quibus creditoribus satisfactio sit praestanda, possidet, ideoque conueniri nequit. <sup>c)</sup> Hunc sponsor eius fidei intra certum, quod iudex praesinit, tempus, quo respondeat creditori suo, sistere, alioquin ipse aes dissolueret alienum. <sup>d)</sup> Ita quoque appromissor, cuius culpa obligatio perpetuatur, cum ipse scilicet rem debitam corrumpit aut peremit <sup>e)</sup>, ex facto suo,



suo, nec non is, qui in rem suam fideiussit, cum tanquam reus consideretur <sup>f)</sup>, is denique, qui, cum plenior sit eius obligatio, debitori successit, ob arctius vinculum summotis principalibus tenentur debitoribus.

- a) l. 173. §. 1. l. 199.  $\pi$ . de verbor. signif.
- b) ad dict. leg. 199.
- c) l. 7. §. 13.  $\pi$ . quibus ex causis in possess. eat. l. 21. §. 2 et 3. ex quibus causis maior.
- d) Authentic. praesente etc. Cod. de fideiussor. et mandator. Nouell. 4. cap. 1.
- e) l. 88.  $\pi$ . de verbor. obligat.
- f) l. 8. §. 1.  $\pi$ . qui satisd. cog. l. 24.  $\pi$ . de pact. Anton. Faber in rationalib. libr. 4. tit. 4. l. 48.
- g) l. 95. §. 3.  $\pi$ . de solut. quam difficillimam paragraphum inter alios Cuiacius in Obseru. libr. XI. cap. 34. Anton Faber in Coniectural. libr. 8. c. 4. et Francisc. Marius Gordon in praetermissis iur. civ. c. 14. in Thes. Otton. T. H. pag. 875 et 876 explicare studuerunt.

### §. 9.

#### *De pignore et hypotheca in obligationibus lege civili summotis.*

A fideiussoribus ad hypothecae et pignoris progredior nexum, qua quidem in re leges varia suggerunt exempla, quibus, licet principalis, quae subfuerat, obligatio impediatur, tamen hypothecae et pignora non cessant. Ita quanquam ex sanctione imperatoris Seueri praediorum ad minores pertinentium alienatio neglecto magistratus decreto declaratur inualida <sup>a)</sup>, tamen ea, quae ob euictionis periculum idem curator

ex

ex rebus propriis subiecit pignora, emtor recte persequitur. <sup>b)</sup>  
 Porro quanquam e pluribus vnus debitoris heredibus quis pro  
 ea, qua heres est, parte personalem soluendo dissuit obliga-  
 tionem, tamen, cum pignoris causa sit indiuidua, <sup>c)</sup> creditori  
 facultas ob reliquorum soluere cessantium partes pignus distra-  
 hendi non adimitur. <sup>d)</sup> Sic intercessoris pignora etiam tunc  
 obligata manent, si fideiussor debitoris adierit hereditatem, et  
 ita causa, qua tanquam fideiussor tenetur, sublata fuerit <sup>e)</sup>,  
 nec debitoris pignus creditore eius hereditatem adeunte et e  
 Senatusconsulto restituente amittitur. <sup>f)</sup> Tandem eo in casu,  
 cum actio personalis tempore est exclusa, hypothecae tamen  
 patet persecutio <sup>g)</sup>, vti etiam in genere omnibus iis in specie-  
 bus, quibus naturalis consistit obligatio, pignus perseuerare di-  
 citur. <sup>h)</sup>

a) l. 1. pr. et §. 1 et 2. de reb. eor. qui sub tut. vel cura sunt. l. 10 et 16.  
 Cod. de praed. et al. reb. minor. Quoad ius saxon. cfr. c. 16. §. 11. Ordina-  
 nat. tutel. de anno 1782.

b) l. 9. Cod. de praed. et al. reb. minor.

c) l. 19. §. de pignor.

d) l. 16. Cod. de distract. pignor. l. 1 et 2. Cod. de iur. pignor. Iac. Cuiac.  
 in Obseru. libr. 5. cap. 32.

e) §. 5. l. 38. de solut.

f) l. 59. §. ad Sil. Trebell.

g) l. 3. et 7. §. 1. Cod. de praeser. 30 vel 40 annor. Contraria Hugoni Do-  
 nello in Comment. ad tit. de iur. pign. ad hanc leg. T. I. Opp. pag. 659.  
 fedit sententia. Sed confer Bachov. in tractat. de pignor. et hypoth. libr. 5.  
 cap. 2.



cap. 2. nec non responsam Iureconsultorum Lipsiensium apud Hermann in  
 Commentar. ad tit. 7. de regul. iur. leg. 129.

h) l. 14. §. 1. 7. de pignor.

*C o n c l u s i o.*

Ex iis igitur, quae speciminis loco adduximus, satis pa-  
 tet varias esse causas, quibus, summotam licet principali, acces-  
 soria tamen duret obligatio, nec semper requiri, ut talis, in  
 quo principaliter consistat obligatio, adsit reus, qui civili te-  
 neatur lege. Quae autem de constitutoribus alienae obliga-  
 tionis, mandatoribus et poena conventionali adhuc dicenda  
 sunt, ob temporis angustiam praefens mitto, alia traditurus  
 occasione.




RESPONDENTI DOCTISSIMO

S. P. D.

F R A T E R

D. IOANNES CHRISTIANVS FRANCKE.

**C**um in eo sis constitutus, ut studiorum Tuorum rationem publico reddere specimine, et partas doctrinarum copias palam velis explicare, lubens societatem, in quam me vocasti, huius in eo certaminis, et tanto lubentius Tuo obtempero desiderio, quanto magis in conspectu **ILLVSTRISSIMI SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDIS**, cuius patrocinio me de meliori commendo nota, celebriorem nactus es occasionem probandi Te non perfunctorie sed grauiter et diligentissime literas liberales et iuris tractasse scientiam. Gratulor Tibi ex animo hunc felicem euentum optoque vt ille ipse dies in laudem Tibi cedat, et amorem conciliet omnium, qui virtutem aestimare norunt; ita enim eueniet, vt maximum Pater dilectissimus inde sentiat gaudium, Tu ipse autem uberimos diligentiae tuae capias fructus. Vale meque Tui studiosissimum amare perge. Dabam in literarum Vniuersitate Vitebergensi d. XIX Augusti A. C. N. c. 1707 CCLXXXVI.







Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle  
004 335 899


3



f  
sl.







DE 350  
OBLIGATIONE ACCESSORIA,  
PRINCIPALI QVOAD EFFECTVS CIVILES  
SVMMOTA, NONVNQVAM VALEDA

COMMENTATIO 1786

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

D. IOANNE CHRISTIANO FRANCKE

IYDICHII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE  
INFERIORIS ASSESSORE

A. D. XXII AVGVSTI A. C. CIOICCLXXXVI

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS ERNESTVS FRANCKE

VITEBERGENSIS.

V I T E B E R G A E

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.